



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De gratia operante, & coopera[n]te. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



Rom. 9. c.

& adiuuetur, vt perficiat. Quia, vt ait Apostolus. Non est volentis velle, neque currentis currere, id est, operari: sed miserentis Dei, qui operatur in nobis velle & operari bona: cuius gratiam non aduocat hominis voluntas vel operatio, sed ipsa gratia voluntatem præuenit, præparando vt velit bonum, & præparatam adiuuat vt perficiat.

DE GRATIA OPERANTE ET  
cooperante.

DISTINCT. XXVI.

De lib. a. bi-  
trio compa-  
rato ad auxi-  
liū gratia.  
Ad Valen-  
tinū. ca. 17.  
tom. 7.

† Aug. super  
illud Rom.

Rom. 9. c.

HÆc est gratia operans & cooperans. Operans enim gratia præparat hominis voluntatem, vt velit bonum: Gratia cooperans adiuuat ne frustra velit. Vnde Aug. in lib. de gratia & libero arbitrio, Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit: quia ipse, vt velimus, operatur incipiēs, qui volentibus cooperatur perficiens. Vt ergo velimus operatur. Cum autem volumus, & sic volumus vt perficiamus, nobis cooperatur: & tamen sine vllō vel operante vt velimus, vel cooperante cū volumus bona pietatis opera: nihil valemus. Ecce his verbis satis aperitur, quæ sit operans gratia, & quæ cooperans. Operans enim gratia est, quæ præuenit voluntatē bonam: ea. n. liberatur & præparatur hominis voluntas, vt sit bona bonumq; efficaciter velit. Cooperans vero gratia voluntatē iam bonam sequitur adiuuando. Vnde Aug. cōtra Iulianū hereticū, qui bonā voluntatem ex libero arbitrio tantū esse dicebat, atq; hominē per liberū arbitriū posse bonum velle & operari sine gratia asserbat, ait. Apertam de commendatione gratiæ Apost. sententiam protulit, cum ait. Nō est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis. Hæc si attenderes Iuliane, nō extēderes cōtra gratiam merita voluntatis humanæ. Non enim ideo miseretur De<sup>9</sup> alicuius, quia voluit & eucurrit: sed ideo



ideo voluit & cucurrit, quia misertus est Deus. Paratur enim voluntas hominis à Deo, & à Domino gressus hominis diriguntur. Ideoque congruè ait: Non est volentis neque currentis, sed misertus Dei. Nō quia hoc sine volūate nostra agatur, sed quia volūtas nostra nil boni agit, nisi diuinit<sup>9</sup> adiuuetur. Vnde alibi Apost. ait: Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Non ideo dicit, quia nihil boni agebat, sed quia nihil boni ageret, si in illa nō adiuuaret. His testimoniis apertè insinuat, quia voluntas hominis gratia Dei præuenitur atque præparatur, vt fiat bona, non vt fiat voluntas: quia & ante gratiam voluntas erat, sed non erat bona & recta voluntas.

*Quid sit voluntas.*

*B Post mediu*

Voluntatem ipsam August. in lib. de duabus animabus ita definit, Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid non admittendum, vel adipiscendum: Hæc autem vt non admittat malum, & adipiscatur bonum, præuenitur & præparatur Dei gratia. Vnde Apost. gratiā præuenientē, & subsequētem commendans, id est, operantem & cooperantem, vigilanter dixit: Non est volentis neque currentis, sed Dei misertus: & nō ecōuerso, nō est misertus Dei, sed volentis & currentis. Nam si (vt quibusdam placuit) quod dictum est ita accipiatur, nō est volētis neq; currentis, sed miserētis Dei: tanquā diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia a Deo: cōtra dicitur, nō sufficit etiā misericordia Dei, si nō sit etiā volūtas hominis. Ac per hoc si recte dictū est illud, quia id voluntas hominis sola nō implet: cur nō etiā è contraria rectè dicitur, non miserētis est Dei, sed volētis est hominis, cū id misericordia Dei sola nō impleat? Homo. n. credere vel sperare nō poterit, nisi velit: nec peruenire ad palmā, nisi volūate currat. Restat ergo vt ideo ita re-

ete dictum

*Aug. li. de perfectione iusticie, non longe à fine tom. 7.*

*cap. 10. in tom. 6.*

*Aug. in Enchir. ca. 32. non longe à principio.*

*Aug. c. 30. in Enchir. ad principium. Ibid. paulo inferius.*